

DISSERTATIO III  
DE LEGE HUMANA

D. Thomas, q. 95.

ARTICULUS I

*De quidditate, necessitate, qualitatibus et divisionibus  
legis humanæ*

*Petes 1º quid sit lex humana.*

*Resp.* Lex humana recte definitur: « Ordinatio rationis humanæ legi naturali conveniens, ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata. » Omnes particulæ hujus definitionis, excepta secunda, patent ex definitione legis in communi.

Dicitur itaque « legi naturali conveniens<sup>1</sup>, » quia omnis lex humana derivatur a lege naturali, non quidem ut conclusio necessaria, seu ut habens cum principiis legis naturalis necessariam connexionem, alioquin pertineret ad ipsam legem naturalem, sed ut convenienter et probabiliter ex illis deducta et ut illorum determinativa.

*Petes 2º utrum leges humanæ sint necessariae.*

*Resp.* esse necessariae<sup>2</sup>, non quidem simpliciter et absolute, sed sic ut, attenta hominum perveracia, corruptione et pronitate in malum, sine legibus humanis, nec multitudo virtutem, nec respublica pacem habere et conservare posset.

*Petes 3º qualis debeat esse lex humana.*

*Resp.* verbis Isidori, lib. V *Etymol.*, c. 21<sup>3</sup>: « Erit lex honesta, justa, possibilis secundum naturam, secundum

1. Hic q. 95, a. 2 o. — 2. Ibid., a. 4, o. — 3. Ibid., a. 3, in arg. *Sed contra.*

consuetudinem patriæ, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate civium scripta. » Et hoc recipitur in jure canonico, dist. 4, c. 2.

*Petes 4º quomodo dividatur lex humana.*

*Resp.* Divisio communis et vulgata legis humanæ est in civilem et ecclesiasticam. Leges civiles plerumque continentur in corpore juris civilis, leges ecclesiasticæ in corpore juris canonici. Circa utrumque nonnulla sunt hic explicanda, præsertim in gratiam tyronum. Unde

*Petes 5º quid intelligatur per Corpus juris canonici.*

[*Resp.* Ratione temporum, jus ecclesiasticum, quod dicitur *canonicum*, quia canonibus seu regulis disciplinaribus præcipue constituitur, dividitur in jus antiquum, jus novum et jus novissimum.

I. — Jus antiquum ab exordiis Ecclesiæ ad medium xi sæculi viguit. Ejus fontes et monumenta sunt :

*Canones Apostolorum.* Antiquam disciplinam in his canonibus contineri, negarunt Protestantes. Hodie vero fatentur omnes eruditi eos constare partim ex regulis quas Apostoli verbis tradiderunt, partim ex consuetudinibus ecclesiarum, partim ex decretis conciliorum quæ prioribus sæculis in Oriente celebrata sunt. Cum quædam in his canonibus inveniantur Ecclesiæ traditioni contraria, Ecclesia Latina quinquaginta priores tantum recepit, quin de illorum origine quidquam decerneret. Ecclesia Orientalis vero octoginta quinque omnes et integros recepit et venerata est, tamquam ab ipsis Apostolis editos.

*Constitutiones apostolicæ.* Hæc collectio in octo libros fuit distributa. Immerito S. Clementi Romano et etiam Apostolis adscripta est. Probabiliter in aut iv sæculo fuit vulgata. Has constitutiones commendat S. Epiphanius, et quidem, cum sint antiquissimæ, multa complectuntur utilia. Postea vero pluribus in locis ab hæreticis fuerunt corruptæ, unde certa autoritas illis tribui non potest.

*Collectiones græcæ.* 1° *Collectio Chalcedonensis*, sic dicta quia in actis concilii Chalcedonensis fit illius mentio. Continebat, servata ratione temporum, canones conciliorum generalium et particularium Nicæni, Ancyrani, Neocæsareensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni et Constantinopolitani I; quibus accesserunt, mediante sæculo vi, canones Apostolorum, Sardicenses, Ephesini, Chalcedonenses, et regulæ S. Basillii. — 2° *Collectio Joannis Scholastici*. Joannes, presbyter Antiochenus, cognomento Scholasticus, præcedentes canones secundum ordinem materiarum digessit, et episcopus Constantinopolitanus factus, leges civiles præsertim ex codice Justiniani depromptas adiecit. Cum Nestorianismi fautor fuerit, ejus collectio suspecta est. — *Concilium quini-sextum* seu *Trullanum*, sic dictum quia in Trullo palatii Constantinopolitani fuit celebratum et supplere voluit quæ in canonibus disciplinariis V et VI conciliorum œcumenicorum deesse videbantur. Inter hos canones eos tantum sanxit ecclesia Romana qui legibus superiorum conciliorum generalium probatisque moribus non adversabantur. Reliqui ergo omni autoritate destituuntur. — 4° *Collectio Photii*. Sæculo ix, Photius, græci schismatis author, collectiones orientales commentavit, leges imperiales canonibus ecclesiasticis adjungens, sicut antea fecerat Joannes Scholasticus; unde ortus est novus *Nomocanon*, qui apud Græcos in summo honore et pretio semper habitus est, quamvis catholicis jure suspectus. — 5° Addi possunt collectiones minoris momenti Simeonis Logothetæ, Alexii Aristini, Arsenii, Harmeneopoli et aliæ de quibus singillatim dicere longum esset ac non necessarium. Hæc omnia monumenta juris ecclesiastici apud Orientales, Pio IX jubente, ab Em. cardinali Pitra fuerunt nuper collecta.

*Collectiones latinæ.* — 1° Primum non alii canones quam Nicæni agnoscebantur, sub quo nomine comprehendebantur etiam Sardicenses, quia Sardicensis synodus tamquam appendix Nicænae habebatur. — 2° *Collectio Isidoriana* ab Isidoro ex antiqua Hispanica collectione fuit transcripta. Continet canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsareenses, Gangrenses, Sardicenses, Antiochenos, Lao-

dicenos, Constantinopolitanos et Chalcedonenses. — 3° *Prisca* græcorum canonum versio paulo minus antiqua videtur, complectiturque canones Ancyranos, Neocæsareenses, Nicænos, Sardicenses, Gangrenses, Antiochenos, Chalcedonenses, Constantinopolitanos. — 4° Ineunte sæculo vi, Dionysius monachus, propter staturam vel humilitatem cognominatus Exiguus, natione Scythæ, moribus et domicilio Romanus, doctrina et vitæ integritate præclarus, celeberrimam collectionem ab authoris nomine *Dionysianam* appellatum edidit. Ea dividitur in partes duas, quarum altera conciliorum canones, altera summorum Pontificum epistolas continet. Hanc collectionem quibusdam additionibus locupletatam Carolo Magno tradidit Adrianus I papa, et exhinc *Adriana* vocata est. Non quidem hæc incrementa Adrianus ipse addidit, sed cum totum opus probasse visus est, ei magnam autoritatem conciliavit, unde passim *Codex canonum* appellari cœpit. — 5° Insignes ecclesiæ suas collectiones habuerunt, in quibus conciliorum canonibus et decretalibus Romanorum Pontificum statuta particularia jungebantur. Notantur præcipue, apud Africanos, *Codex Africanus*, *Breviatio canonum* Ferrandi, diaconi Carthaginensis, anno 547; *Canonum concordia* Cresconii episcopi, anno 697. Apud Hispanos, *Capitula Martini*, Bracarensis episcopi, 572; *Collectio S. Isidori* Hispalensis, 636. Apud Gallos, *Codex canonum*; *Capitularia*, quæ in generalibus comitiis episcoporum et procerum lata, ad utrumque regimen spectabant; *Pannonia* Ivonis Carnotensis, 1117. Apud Germanos, *Collectio Reginonis*, 906; *Volumen decretorum* Burchardi, 1023. Inter hos libros computari debent *libri rituales* et *formularia*, in quibus multæ regulæ disciplinares reperiuntur. — Hic pro memoria tantum notandæ sunt *Decretales* Isidoris Mercatoris aut Peccatoris, quæ ix sæculo vulgatæ sunt et quarum major pars ab ipso authore excogitata et conficta est. Unde, quamvis multa in hac collectione vera et germana sint, merito nomen *Falsarum decretalium* huic operi fuit inustum.

Qui plura de superioribus fontibus juris antiqui desiderat, canonistas adeat.

II. — Collectiones supra enumeratæ nunquam in unum corpus fuerunt redactæ, neque apud Orientales, neque in Ecclesia Latina. Cum vero circa medium sæculum XI scientiæ ecclesiasticæ, et præsertim juris studium, in honore magis cœperint haberi, necessarium visum est has diversas materias in ordinatam formam redigere, et inde prodierunt collectiones quibus componitur *Corpus juris canonici* quale nunc in scholis traditur.

Jus canonicum novum sex partibus constat, quæ sunt : Decretum Gratiani, Decretales, Sextus Decretalium, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII et Extravagantes communes.

1º *Decretum* fuit conflatum circa annum 1150 a Gratiano, monacho ordinis S. Benedicti, ex S. Scripturæ sententiis, conciliorum et summorum Pontificum decretis et responsis, imperatorum legibus, SS. Patrum et ecclesiasticorum scriptorum dictis, ipsiusque Gratiani commentariis. Plura sunt inscripta *Palea*, super qua denominatione similior vero est opinio illorum qui statuunt *Paleam* esse nomen authoris a quo canones utilitate atque autoritate præstantes adjecti fuerint, qui in margine primum appositi, deinceps in libri contextum irrepserint.

Dividitur Decretum in tres partes. Prima agit de personis ecclesiasticis, habetque unam supra centum distinctiones, quæ ipsæ dividuntur in capita seu canones. Textus ex hac parte desumpti sic citantur : *c. Placuit*, dist. 16 ; vel brevius : *can.* vel *cap.* 4, dist. 16.

Secunda pars continet triginta sex causas, in quibus agitur de materia et forma judiciorum. Quæstio autem tertia causæ trigesimæ tertiæ septem habet distinctiones de Pœnitentia. Quia vero causæ in quæstiones et quæstiones in capita seu canones dividuntur, sequenti modo citantur : *c. Ecclesiarum* 12, q. 2, id est, *can.* vel *cap.* 69, causæ 12, quæstionis 2. Tractatus vero de Pœnitentia citatur : *can.* vel *cap.* 19 *Charitas*, dist. 2 de Pœnitentia.

Tertia pars tractat de rebus sacris, sub titulo generali *De Consecratione*. Habet quinque distinctiones, et textus

citantur : *c. Jejunium*, dist. 5 *de Consecrat.*, vel *can.* aut *cap.* 23, dist. 5 *de Consecrat.*

Distributio materiarum a Gratiano adoptata deinceps in tractatibus juris canonici fuit servata.

2º *Decretales* jussu Gregorii IX a S. Raymundo de Penafort fuerunt compilatæ. In quinque libros dividuntur, quorum primus agit de iudiciis seu prælatis Ecclesiæ, secundus de iudiciis civilibus, tertius de rebus clericorum, quartus de sacramento matrimonii, quintus de iudiciis criminalibus. Quæ omnia hoc versu continentur :

Judex, iudicium, clericus, sponsalia, crimen.

Decretales ita citantur : *cap.* 12 *de arbitris*, vel *cap. Innotuit, de arbitris*. Olim addebatur *extra*, sic : *cap.* 12 *extra, de arbitris; extra*, id est extra corpus Decreti.

3º *Sextus Decretalium*, ita nuncupatus, quia liber iste quinque libros decretalium sequitur. Anno 1298, Guillelmi, Ebrodunensis archiepiscopi, Berengarii, episcopi Biterrensis, et Richardi de Senis, qui postea cardinales facti sunt, opera usus, Bonifacius VIII collegit canones duorum generalium conciliorum Lugdunensium et decretales Romanorum Pontificum quæ post editam collectionem Gregorii IX fuerant evulgatæ. Ex iis atque suis constitutionibus confecit Sextum, qui in quinque libros, sicut Decretales, dividitur, servato eodem ordine materiarum et titulorum. Eodem modo citatur, cum additione, in 6º, v. g. : *cap. Nemo*, vel *cap.* 11, *de electione*, in 6º.

4º *Clementinæ*, sic dictæ quia Clemens V collectionem fieri jussit quamplurimum constitutionum ab eo promulgatarum in concilio Viennensi, cui præfuit anno 1311. Sed cum, morte occupatus, id opus perficere non potuerit, hæ constitutiones a Joanne XXII, anno 1317, fuerunt publicatæ. Citantur hoc modo : *Clement.*, *Cum secundum, de pœnitentiis*; vel : *cap. Cum secundum*, aut *cap.* 1 *de pœnit. Clement.*

5º *Extravagantes Joannis XXII*. Sub hoc titulo comprehenduntur viginti decretales quas Joannes XXII prioribus annis sui pontificatus emiserat, et quæ sparsæ vagabantur

extra collectiones quibus tunc corpus juris constabat. Ita citantur: cap. 1, vel cap. *Ad onus, de electione*, in Extrav. Joann. XXII; aut brevius: Extrav. *Ad onus, de electione*.

6° *Extravagantes communes* sunt decretales quæ ab Urbano IV usque ad Sixtum IV editæ extra corpus juris remanserant. Hæc collectio, Sixto IV Ecclesiam regente, privato studio perfecta est. Dividitur in quinque libros, sicut Gregoriana. Citatur: Extrav. *Injunctæ, de electione*, cap. 3; vel: cap. *Sancta*, int. comm., id est, inter communes.

Sunt in libris singulis *glossæ*, hoc est commentarii, qui multorum opera fuerunt exarati, et non majorem habent auctoritatem quam privati doctoris opinio habere potest in legibus explanandis<sup>1</sup>.

Corpus integrum juris canonici, Gregorio XIII Pontifice, Romæ editum est diligenterque emendatum, et secundum hanc editionem typicam posteriores fuerunt exaratæ.

Idem Gregorius XIII animum adjecit ad colligendas constitutiones summorum Pontificum quæ post Sixtum IV in lucem prodierant, atque hoc negotium commisit viris doctis qui *Septimum Decretalium* emitterent. Sed, hoc Pontifice vita functo cum opus nondum esset absolutum, illud perficiendum curavit Sixtus V; quo etiam humanis rebus erepto, Clemens VIII, qui cum cardinalis esset in ea re operam studiumque posuerat, collectionem istam typis mandari jussit. Obortis difficultatibus præcipue circa prohibitionem edendi privatos commentarios super decretis Tridentinis huic libro insertis, suppressum est opus istud tanto labore elucubratum<sup>2</sup>, ejus exemplaria nunc rarissima maximo pretio vix reperiri possunt. Iisdem fere temporibus, nempe anno 1590, Petrus Mattheus, jurisperita Lugdunensis, edidit proprio et privato labore *Septimum*

1. Glossatores sunt Accursius, Bernardus, Tancredus, Joannes, Andræas, quibus accedunt interpretes Sinibaldus, qui postea Innocentius IV, Hostiensis, Speculator, seu Guillelmus Durandus, Panormitanus, etc. — 2. Fagnanus, in cap. *Cum venissent, de judic.*, n. 61, totam rem diligenter narrat.

*Decretalium*, in quo multa irrepserunt vitia et plura etiam desiderantur. Hic codex omni publica auctoritate caret.

III. — Jus novissimum proprie coalescit ex constitutionibus apostolicis et decisionibus cujusvis generis quæ ex auctoritate pontificia, sive immediate, sive mediate, post Sixtum IV prodire. Attamen in collectionibus exinde confectis includuntur multæ constitutiones anteriores quæ, cum in libro *Extravagantium* locum non obtinuerint, extra corpus juris remanebant vagantes. Collectiones novissimæ sunt sequentes.

1° *Bullaria*. Sixto V regnante, Laertius Cherubinus Romanus, Pontificum constitutiones extra corpus juris errantes, a S. Leone Magno, primus collegit in unum volumen quod *Bullarium* appellavit. Auxit deinceps suum librum constitutionibus Pauli V, et tertiam editionem in qua constitutiones postea latæ continerentur parabat, cum morte occupatus opus inceptum perficere nequivit. Ejus filius Angelus Maria Cherubinus opus paternum absolvit, ei adjiciens multas constitutiones usque ad Innocentium X publicatas. Hoc opus novum, quatuor voluminibus constans et anno 1638 editum, *Bullarium Magnum* nuncupavit. Quintum volumen postea accessit, quo Angelus a Lantusca et Paulus a Roma complexi sunt alias constitutiones usque ad Clementem X. Sed omnium amplissimum est *Bullarium Magnum* ab Hieronymo Mainardi editum Romæ et in quatuordecim tomos distributum. Continet constitutiones summorum Pontificum a Leone Magno ad Clementem XII.

In lucem prodire, jussu Benedicti XIV, ipsius constitutiones tomis quatuor comprehensæ. Edita est Romæ, anno 1833, *Bullarii magni continuatio*, constans constitutionibus Clementis XIII, Clementis XIV, Pii VI, Pii VII, Leonis XII, Pii VIII et Gregorii XVI.

Hæc Bullaria, si forte excipias Bullarium Benedicti XIV, sunt opera privata, et constitutiones in eis contentæ tantummodo per se valent.

2° *Collectiones conciliorum*. Aliæ sunt generales, aliæ particulares. Ad colligendos canones omnium conciliorum

sua studia contulerunt plures viri docti, inter quos, in sæculo XVI, Merlin, Crabbe, Surius; in sæculo XVII, Baluze, Labbe et Cossart; in sæculo XVIII, Coleti et Mansi Labbeanam collectionem iterum ediderunt, multis additionibus eam locupletantes.

Hujusmodi collectiones, ut tales, publica autoritate destituuntur, sed documenta quibus constant omnem suum valorem intrinsicum retinent, in quantum sunt authentica.

3<sup>o</sup> *Regulæ Cancellariæ* originem repetunt a Joanne XXII, qui primus has leges scripto mandari jussit, ut iis Apostolica Cancellaria regeretur. Ab ejus successoribus, præcipue a Nicolao V, novæ regulæ fuerunt additæ, ita ut septuaginta duæ hodie numerentur, in quas, præter cæteros, scripsit commentarios accuratissimos Joannes Baptista Rigantius. Hæ regulæ, ut conualescant, ab unoquoque Pontifice, post ejus creationem, confirmari debent. His derogatum fuit per conventiones particulares quæ *concordata* dicuntur.

4<sup>o</sup> *Concilium Tridentinum*, quod est fons uberrimus juris novissimi. Nullum concilium generale tot quæstiones trutinavit et tam scite enucleavit. Viginti quinque sessiones habuit, quarum ferme unaquæque duabus partibus constat. Prima pars continet centum triginta canones doctrinales, quibus damnantur hæreses Protestantium et dogmata fidei confirmantur. Altera pars, quæ *de Reformatione* inscribitur, multa decreta ad ecclesiasticam disciplinam et morum regulas spectantia complectitur.

5<sup>o</sup> Denique ad jus canonicum pertinent etiam declarationes sacrarum Congregationum Romanarum. Hæ autem Congregationes sunt cœtus Cardinalium quibus a summo Pontifice certa negotia noscenda ac definienda commissa sunt. Octo numerantur, quarum tres priores ad fidem tuendam et propagandam fuerunt institutæ, et reliquæ moribus, disciplinæ et cultui divino invigilant.

Prima est *Congregatio Inquisitionis*, quæ primum locum, ob præcellentiam objecti, obtinet. Paulus III eam instituit, et deinceps Pius IV, Pius V et tandem Sixtus V multis

sanctionibus ejus attributiones determinarunt. Cognoscit de hæresi, de hæresis suspicione et de aliis irreligiositatis criminibus.

Secunda est *Congregatio Indicis*, quam Sixtus V instituit in subsidium Inquisitionis, ad examinandum et proscribendum libros sanæ doctrinæ vel moribus christianis contrarios.

Tertia est *Congregatio de Propaganda fide*, quam Gregorius XV, anno 1621, instituit ad conservandam et propagandam fidem catholicam in regionibus sedibus episcopalibus destitutis. Unde ejus authoritati et administrationi directe et immediate subduntur vicarii et præfecti apostolici ac superiores missionum totius orbis.

Quarta est *Congregatio Concilii*, a S. Pio V instituta ad invigilandum observationi decretorum concilii Tridentini quæ ad disciplinam spectant. Eo titulo recognoscit et, in quantum opus est, reformat decreta conciliorum provincialium, quæ ante hanc revisionem promulgari non debent. Sixtus V tribuit ei insuper potestatem supradicta decreta Tridentina interpretandi.

Quinta est *Congregatio Episcoporum et Regularium*, quæ resolvit quæstiones et dirimit dubia circa prælatorum jura, jurisdictionem, præcedentias et exemptiones nata. Suscipit etiam regularium utriusque sexus causas juxta regulas juris cognoscendas et dirimendas.

Sexta est *Congregatio Immunitatis* ab Urbano VIII, anno 1624, instituta ad providendum ne præjudicium inferatur immunitatibus Ecclesiæ. Ipsi soli competunt negotia, processus, judicia per appellationem devoluta, quæ spectant ad immunitatem localem. Cognoscit etiam, sed cumulative cum aliis congregationibus, de immunitate reali et personali.

Septima est *Congregatio sacrorum Rituum*. Eam instituit Sixtus V, « ut veteres sacri ritus ubivis locorum, in omnibus Urbis orbisque ecclesiis, diligenter observentur; cæremoniæ, si exoleverint, restituantur, si depravatæ fuerint, reformentur. » Consequenter invigilat editioni libro-

rum liturgicorum, et si opus sit, eorum emendationi. Ipsi etiam committuntur omnes causæ quæ beatificationem et canonizationem sanctorum respiciunt.

Octava est *Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum*, constituta a Clemente IX, anno 1669. Mandatum habet « omnem dubietatem ac difficultatem in sanctorum reliquiis aut indulgentiis emergentem expediendi, abusus qui irreperint corrigendi et emendandi; falsas, apocryphas, indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi. »

Hactenus actum est de fontibus et monumentis juris publici in Ecclesia. Jus particulare sive nationum sive ecclesiarum episcopalium determinatur et regitur constitutionibus Romanorum Pontificum, concordatis sive conventionibus a Sancta Sede cum guberniis civilibus initis, decretis conciliorum provincialium et statutis sive in synodo sive privatim latis et promulgatis ab episcopis, quibus potestas legislativa in suis diocesis competit, dummodo eam intra limites juris publici exerceant.]

*Petes 6º quid sit Corpus juris civilis.*

Corpus juris civilis constat *Digestis, Codice, Institutionibus, et Novellis seu Authenticis.*

*Digesta*, alio nomine dicuntur *Pandectæ*, quasi diceret *totum capio*, quia universam juris scientiam quinquaginta libris complectuntur.

*Codex* dicitur *Repetitæ lectionis*, quia Justinianus, post primam editionem, alteram accuratorem curavit. Coalescit duodecim libris in varios titulos distributis.

*Institutiones* continent elementa juris in gratiam incipientium. Constant quatuor libris.

*Novellæ* seu *Authenticæ* sunt constitutiones ipsius Justiniani imperatoris et aliquorum aliorum imperatorum.

[Ex supradictis libris coalescit jus civile antiquum, quod ex jure Romano ortum per plura sæcula in plerisque regionibus Europæanis viguit. Jus novum continetur

tum in variis codicibus cuique nationi propriis, tum in collectionibus legum quæ extra codices vagantur.]

Petes 7º utrum omnia quæ continentur in *Corpore juris canonici*, habeant vim legum.

*Resp.* 1º Decretum Gratiani non aliam habere auctoritatem quam fontium et originum ex quibus depromptum est.

Ratio est, quia nullus unquam Pontifex illud approbavit; Gratianus, hujus author, nulla jurisdictione pollebat. Insuper multa congegit sine delectu, et emendatione digna; quædam citat ex suspectis authoribus; quædam tribuit SS. Patribus quæ sunt hæreticorum, ut probat Bellarminus, *de Script. eccles. in Gratiano*; SS. Pontificum et conciliorum decreta sæpe non ex fontibus, sed ex aliis compilatoribus, et non raro propriis permixta verbis, profert.

Et quamvis Gregorius XIII curaverit ejus emendationem, non tamen ipsum approbavit, sed tantum jussit emendationes servari, absque eo quod eis aliquid adderetur aut detraheretur, ut patet ex ejus constitutione in capite Decreti impressa<sup>1</sup>, et eo maxime quod, post ejus correctionem, reperiantur adhuc emendanda. In hanc rem Joannes Laurentius Berti, Eremita Augustinianus, novissimus et elegantissimus scriptor, refert decisionem sacræ Rotæ<sup>2</sup> quæ eadem dicit.

1. Jam antea Pius IV et S. Pius V viris selectis correctionem Decreti commiserant. Gregorius XIII hoc opus perfici jussit, et novam editionem in multis emendatam approbavit per bullam *Cum pro munere* 1<sup>a</sup> die julii anni 1580 datam et Decreto præfixam. —  
2. Rota est tribunal Romani Pontificis institutum ad definiendum causas litigiosas tum ecclesiasticas tum sæculares. Sicut *Consistorium* habetur pro expediendis negotiis majoribus, ita et *Auditorium* ab antiquis temporibus erectum fuit, quod Rota nominatur, ut causæ minores quæ ad Sanctam Sedem referuntur possent judicari et terminari, et undequaque fideles ad hoc tribunal recurrant. Verum post constitutas tot congregationes de quibus supra dictum est, paulatim imminutus fuit numerus causarum ad hoc tribunal pertinentium.

Itaque quæ Gratianus legitime citat ex SS. Pontificibus et conciliis, ea autoritate pollent quam habent in seipsis. Similiter quæ veraciter citat ex conciliis nationalibus aut provincialibus, valent pro illis nationibus aut provinciis pro quibus sunt sancita, etiamsi a SS. Pontificibus sint confirmata; quia confirmatio addit quidem robur decreto, sed illud non magis extendit, ut notant jurisperiti. Idem dicendum, proportionem servata, de aliis quæ profert sive ex SS. Patribus, sive ex doctoribus et aliis.

Quantum ad alias partes juris canonici, cum non contineant nisi epistolas, rescripta et constitutiones SS. Pontificum, vim habent legis secundum quod sunt communiter receptæ, seu nisi sint revocatæ, vel per contrariam consuetudinem probatam abrogatæ. Intellige de constitutionibus circa disciplinam, non circa fidem; hæ enim sunt invariabiles.

Utrum vero rescripta Pontificum uni Ecclesiæ data valeant et possint allegari pro aliis? *Resp.* regulariter affirmative, præsertim quando decretalis epistola juris corpori inserta meruit auctoritatem publicam. Et ita observatur in civilibus Imperatorum rescriptis, ut constat ex l. I, ff *de Constitutionibus principum*. Excipe tamen, inquit Layman post Isidorum et Gratianum, si Papæ vel Imperatoris responsum ex causa speciali, persona, loco et tempore prodierit. Tunc enim ad alias causas transferri non potest: et ideo dixi, « regulariter loquendo. »

[*Petes* 7º quænam sit autoritas decisionum Congregationum Romanarum.

*Resp.* 1º. Cum hæ Congregationes ab ipso Summo Pontifice fuerint constitutæ, ut ejus nomine negotia sibi commissa tractent et dirimant, auctoritatem pontificiam exercent, et earum resolutiones sunt decisivæ et appellationi non subjacent.

*Resp.* 2º. Congregationis Inquisitionis decisiones sunt duplicis generis: 1º Fert sententias doctrinales de dubiis sibi propositis: sic, recentioribus temporibus multas edixit decisiones circa usuram et magnetismum. Attamen,

quando graves exsurgunt controversiæ ac novæ quæstiones agitantur, summi Pontifices solent specialem congregationem constituere, ad præparandam decisionem definitivam. 2º Fert sententias judicarias quibus condemnantur vel absolvuntur suspecti criminis circa fidem; quæ pœnæ, nunc saltem, sunt mere spirituales. In utroque casu, sententiæ, ut videtur, per se et pleno jure vim obligatoriam habent, sine appellatione, quia hoc tribunal supremum est in suo genere.

*Resp.* 3º. Prohibitiones a Congregatione Indicis decretæ omnes obligant. Nam 1º ex jure naturali omnes tenentur præcavere quæcumque fidem in discrimen adducunt et moribus sunt periculosa. Atqui in indice librorum prohibitorum non fuerunt inscripta nisi opera quorum lectio fidem in discrimen adducit vel moribus fit periculosa, et inscripta fuerunt ex delegatione autoritatis supremæ, cui divinitus commissa est cura fidem tuendi et mores protegendi. Ergo. 2º Jus positivum eandem obligationem omnibus imponit. Etenim Pius IV Patribus Tridentinis manus Indicem librorum prohibendorum efformandi commiserat. Cum Index iste a concilio examinari non potuerit, idem Pontifex, adhibitis pluribus doctissimis prælatis, eum perfecit, ac mandavit ut ab omnibus fidelibus observaretur, decrevitque ut, si quis librum damnatum legeret, ipso jure in excommunicationem incideret, et in eum tamquam de hæresi suspectum procederetur. Cum vero Congregatio Inquisitionis libris examinandis jam impar esset, S. Pius V specialem congregationem instituit, quæ Indicis nuncupata est et unice in id incumbere debebat ut Ecclesiam a pravis libris expurgaret. Eam confirmarunt Sixtus V et Clemens VIII, qui anno 1594 Indicem per totum orbem publicari mandavit. Postquam constitutione *Sollicita ac provida*, data die 9 julii 1753, Benedictus XIV regulas in examine et prohibitione librorum servandas statuisset, per subsequentem constitutionem *Quæ ad catholicæ*, datam die 23 decembris 1757, quæ Indici fuit præfixa, Indicem iterum promulgavit his verbis: « Absolutum itaque juxta mentem nostram lauda-

tum Indicem et ab iisdem cardinalibus revisum atque recognitum typis Camerae nostrae Apostolicae edi volumus, ipsumque praesentibus litteris nostris tamquam expresse insertum habentes, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, atque ab omnibus et singulis personis ubicumque locorum existentibus inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus, sub poenis tam in Regulis Indicis quam in litteris et constitutionibus Apostolicis alias statutis et expressis, quas tenore earundem praesentium confirmamus et renovamus. Non obstantibus... consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque. » *Regulae Indicis* ita concluduntur, reg. x : « Omnibus fidelibus praecipitur ne quis audeat contra harum regularum praescriptum aut hujus Indicis prohibitionem libros aliquos legere aut habere. Quod si quis libros haereticorum vel cujusvis auctoris scripta ob haeresim vel falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita legerit sive habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat. Qui vero libros alio nomine interdictos legerit aut habuerit, praeter peccati mortalis reatum quo afficitur, iudicio episcoporum severe puniatur. » Leo XII, omnibus episcopis praecipiens, per mandatum diei 26 martii 1825, ut invigilent ne fideles libris noxiis ac mortiferis pervertantur, eis exhibet decreta generalia Clementis VIII, Alexandri VII et Benedicti XIV ut in suo robore permanentia. — *Objiciunt* aliqui theologi, praesertim Galli, Indicem non fuisse ubique receptum, et ipse Billuart dicit in fusiori sua *Summa*, tract. *de Fide*, dissert. V, art. 3, § 3 : « Observant auctores hunc Indicem non esse quoad omnia in toto rigore acceptum. » *Respondendum* est primo, Indicem, ex tenore constitutionum pontificiarum, et signanter ex constitutione *Quae ad catholicam* supra relata, fuisse ubique recipiendum et observandum, nulla ratione habita cujuscumque consuetudinis etiam immemorabilis ; deinde, multas synodos, statim post publicationem Indicis et temporibus insequentibus, ejus regulas tamquam stricte obligatorias promulgasse, quod pariter fecerunt his posterioribus annis plures synodi provincia-

les Galliarum, inter quas Avenionensis, Albiensis, Tolosana, Remensis, etc. Unde jure concludimus omnes his legibus strictè ligari, nisi justis de causis dispensationem a Sancta Sede aliquis obtinuerit<sup>1</sup>.

*Resp. 4<sup>o</sup>.* Cum Congregatio de Propaganda fide habeat veram jurisdictionem in territoria sedibus episcopalibus destituta, ejus decisiones vim legis habent in his locis.

*Resp. 5<sup>o</sup>.* Certum est decreta Congregationis Concilii a Summo Pontifice approbata et Romae promulgata vim legis habere, sicut habent caeterae leges pontificiae. Quid vero sentiendum de declarationibus datis ad casum propositum ? Communius tenetur eas valere ut interpretationes authenticas, et has interpretationes vim eandem habere, ac si ab ipsomet Pontifice fuissent datae. Non refert quod haec resolutiones non promulgentur eodem modo quo leges novae, nam promulgatio facta societati non requiritur, quando datur nuda interpretatio quae non introducit jus novum, sed sensum genuinum legum vigentium declarat. Salvantur tamen legitimae consuetudines, quae his decisionibus non tolluntur.

*Resp. 6<sup>o</sup>.* Congregatio Episcoporum et Regularium leges non condit, sed sententias mere administrativas edit, secundum jus existens. Unde haec sententiae valent tantum decisive pro casu proposito, quamvis invocari possint ad statuendam jurisprudenciam in casibus similibus.

*Resp. 7<sup>o</sup>.* Congregationi Immunitatis competunt negotia, processus, judicia per appellationem delata circa immunitatem localem. Ejus sententiae transeunt in rem judicatam, et ab his non datur appellatio.

*Resp. 8<sup>o</sup>.* Ut noscatur quis sit valor decisionum Congregationis Rituum, satis erit referre ejusdem resolutionem sequentem : « Die 23 martii 1846, Generalis Fratrum Praedicatorum exposuit : an decreta a sacra Congregatione

1. Utilissime legetur dissertatio S. Ligorii *De justa prohibitione et abolitione librorum nocuae lectionis*, ad calcem suae *Theologiae moralis*.



emanata et responsiones quæcumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editæ, eandem habeant auctoritatem ac si immediate a S. Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ. — S. R. C. rescribendum censuit *affirmative*. — Et facta de præmissis omnibus SS. D. N. Pio IX, Pontifici Maximo, per secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua rescripta a sacra Congregatione in omnibus et singulis approbavit confirmavitque... die 17 julii 1846. *Decreta authentica*, n. 5051. Cum vero ex verbis « scripto formiter editæ » dubium ortum sit, Rituum Congregatio illud resolvit sequentibus quæsitis respondens, die 8 aprilis 1854 : « 1º Cum in declaratione S. R. C. lata die 23 maii 1846 sancitum fuerit quod decreta et responsiones ab ipsa emanatæ, dummodo scripto formiter editæ fuerint, eandem auctoritatem habere ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quæritur : an per verba « dummodo » modo formiter scripto editæ fuerint » sufficiat quod sint subscriptæ a S. R. C. Præfecto et Secretario, ac ejusdem sigillo munitæ, seu potius requiratur ut sint vel Romæ vel ab episcopis in suis diocesisibus promulgatæ ? 2º Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam : an tamquam formiter edita habenda sint decreta et responsiones in Gardelliana authentica collectione insertæ ? — Et sacra eadem Congregatio respondere rata est : Ad 1<sup>am</sup>, *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam. Ad 2<sup>am</sup>, *affirmative*, uti patet ex adjecta declaratione. » An vero consuetudines ad liturgiam spectantes servari possint non obstantibus hujusmodi decretis ? Responsum est die 3 augusti 1839 : « Quæcumque inveterata consuetudo in contrarium derogare non potest legi a decretis sacre Congregationis præscriptæ. » Pariter ad dubium : « An decreta S. R. C., dum eduntur, derogent cuicumque contrariæ invectæ consuetudini, etiam immemorabili, et in casu affirmativo obligent etiam quoad conscientiam ? Sacra Congregatio respondit : *Affirmative*, sed recurrendum in particulari. » Die 11 septembris 1847.

Collectio Gardelliana, de qua supra, a Gardellini, ejus editore præcipuo, qui fuit hujus Congregationis Consultor,

vulgata est sub hoc titulo : *Decreta authentica Congregationis sacrorum Rituum*. Refert ordine chronologico decreta data ab anno 1602, et jam pluribus supplementis fuit aucta. Hæc collectio est authentica, uti testantur declarationes in fronte primi tomi insertæ a cardinali de Somaglia, Congregationis Præfecto. Cum non omnia decreta in ea fuerint relata, quid de decretis omissis sentiendum sit, patet ex decisione sequenti ab hac Congregatione data die 17 septembris 1822 : « Cum sæpe oriantur dubia super authenticitate nonnullorum decretorum, quæ, licet in publicis tabulis S. R. C. inscripta reperiantur, nihilominus in collectione typis edita omissa fuerunt, hujusmodi decreta pro postulantium voto eidem collectioni addi possunt. » N. 4590.

*Resp. 9º*. Decisiones Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum eandem vim habent ac decreta Congregationis Rituum, quia par potestas ei in sua provincia a Summis Pontificibus fuit commissa. Hæ decisiones fuerunt vulgatæ ab Aloysio Prinzivalli, sub hoc titulo : *Resolutiones seu decreta authentica sacre Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis præpositæ*, ab anno 1668 ad annum 1861. Hæ collectio declarata fuit authentica a secretario ejusdem Congregationis. Unde decisiones aliæ quæ circumferuntur et a diversis authoribus citantur, nullius sunt roboris, nisi post annum 1861 datæ, ab ipsa Congregatione ut authenticæ fuerint recognitæ. Idem dicendum de concessionibus et summariis indulgentiarum. Id deducitur ex summa decretorum de libris prohibitis Indici præfixa, ubi, § III, n. 12, inter scripta pleno jure et sine expressa mentione prohibita declarantur : « Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia, etc., in quibus earum concessionibus continentur, non edantur absque licentia sacre Congregationis Indulgentiarum. »

*Notandum* est, jurisdictionem Congregationum, cum sit ordinaria ac in perpetuum concessa, non expirare nec suspendi Apostolica Sede vacante. Quamobrem, creato novo Pontifice, non innovantur illarum facultates, sed